

## Psalmus 22

- 1 Dominus reget me et nihil mihi deerit :  
in loco pascuae ibi me collocavit.
- 2 Super aquam refectionis educavit me:  
animam meam convertit.
- 3 Deduxit me super semitas justitiae,  
propter nomen suum.
- 4 Nam et si ambulavero in medio umbrae mortis non timebo mala:  
quoniam tu mecum es.
- 5 Virga tua et baculus tuus:  
ipsa me consolata sunt.
- 6 Parasti in conspectu meo mensam,  
adversus eos qui tribulant me.
- 7 Inpinguasti in oleo caput meum:  
et calix meus inebrians quam praeclarus est!
- 8 Et misericordia tua subsequitur me  
omnibus diebus vitae meae:
- 9 Et ut inhabitem in domo Domini,  
in longitudinem dierum.